



The Holy See

FRANCISCUS

EPISTULA DATA

IOSEPHO TOLENTINO S.R.E. CARD. DE MENDONÇA

Venerabili Fratri Nostro

IOSEPHO TOLENTINO S.R.E. Card. DE MENDONÇA

Dicasterii de Cultura et Educatione Praefecto

Compatientem Matrem recolentes, quae, iuxta Filium sistens fidelis, imago solitudinis, eiusdem passionis consors effecta, antiquam adimplet figuram et nova praebet documenta vitae et, tamquam nova fulgens Eva, sicut haec contulit ad mortem, ita ea confert ad vitam, dispersos homines materno suscipiens amore Matrisque Sion obiens mysterium, exemplar Ecclesiae sponsae nec perterritae minis nec persecutionibus fractae, vetustatem deponamus peccato contractam et novitatem induamus restauratione promeritam (cfr *Coll. Miss. BMV.*, 11: *praefatio*; et 12: *collecta*).

Quo divinae devotionis innisi consilio, dum in universae Ecclesiae necessitatum studium incumbimus, potissimum de proposito laetamur gratiosi simulacri Dominae Nostrae Perdolentis in Basilica Mafrae coronationis a Nobis concessae die XVII mensis Septembris huius anni celebrandae intra Missam in conclusione IV Fori Europaei Fraternitatum et Confraternitatum, participantium devotas exposcentes preces ad Deum, a cuius apud Filium mediatione omnis maternae caritatis pendet dispensatio atque hauritur virtus.

Tantam ergo recolentes occasionem, ut inter sollemnia perfrui possint christifideles praesentia ac verbo alicuius Eminentissimi ac Reverendissimi Viri, qui Nostras vices ibi gerat atque concurrentibus christifidelibus dilectissimis dilectionem Nostram manifestet, humanissimae petitioni, de consensu Venerabilis Fratris Nostri Emmanuelis S.R.E. Card. Clemente, Patriarchae Lisbonensis, ad Nos conversae concedentes, ad Te, Venerabilis Frater Noster, mentem vertimus, qui cotidiano in Nostro ministerio exercendo validum Nobis praestas auxilium ac praecipua

devotionis populi Lusitani optime comperis, ut hodie peraptus videaris ad hanc legationem obeundam. Idcirco, hisce Litteris Te MISSUM EXTRAORDINARIUM NOSTRUM nominamus ad ritum coronationis speciosi simulacri Beatae Mariae Virginis Perdolentis, qui proximo die XVII mensis Septembris Mafrae celebrabitur.

Libenter tibi potestatem facimus, dum Eucharisticae celebrationi praesidebis, illum coetum, publicas auctoritates atque universos christifideles Nostro nomine salutandi ac benedicendi, quos cohorteris, ut, arcano divinae pietatis dono socii facti passionis, Christo intimius adhaereant fidelisque in dies redemptionis inserviant mysterio, Beatissima Virgine Maria Perdolente cum miro ipsius exemplo maternam caritatem dispensante, quae dolores Filium generando non sensit, sed nos Ei regenerando gravissimos sustinuit. Simul, insuper, Nostrum ministerium Petrinum precibus committimus universi coetus ibi congregati.

Dum tibi, Venerabilis Frater Noster, Benedictionem impertimur omnibus, qui celebrationi intererunt, transmittendam, legationem tuam ardentibus precibus comitamur, a Deo misericordiae suppliciter obsecrantes, ut hic conventus fidelium, hanc gaudii occasionem sedulo affectu celebrans, quod recordatione percurrit semper teneat in opere.

Ex Aedibus Vaticanis, die VIII mensis Augusti, anno Domini MMXXIII, Pontificatus Nostri undecimo.

FRANCISCUS